

TRACTATUS  
DE  
ACTIBUS HUMANIS  
EORUMQUE REGULIS  
PER CASUS PRACTICO-MORALES  
PROPOSITI

---

QUOS  
AD MAJOREM DEI GLORIAM  
ET  
BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE HONOREM  
PRAESIDE  
P. LUDOVICO ROMPEL,  
ORDIN. PRAED.

SS. THEOL. DOCTORE, IN ELECTORALI ET ANTIQUISSIMA  
UNIVERSITATE HEIDELBERGENSI THEOLOG. MORAL.  
PROF. PUBL. ET ORD. H. T. FACULTATIS  
THEOLOGICAE DECANO

PRO EXERCITIO

DEFENDET  
JOANNES JACOBUS KAEMMERER,  
WOLLMESHEIMENSIS,

PHILOSOPH. MAGISTER, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BAVARO-  
PALATINI ALUMNUS CLERICUS, SS. THEOL. IN ANNUM SECUNDUM AUDITOR

HEIDELBERGAE  
DIE 5 JULII ANNO MDCCLXXIX.  
*loco horisque consuetis.*

---

Typis JOANNIS BAPTISTAE WIESEN, Universitatis Typographi.



§. I.

De actibus humanis.

POSITIONES.

**A**ctus humanus five moralis est, qui procedit a deliberata ratione cum attentione ad regulas morum; ejus regulæ sunt lex æterna, & recta ratio five conscientia. Species bonitas & malitia. An etiam indifferentia? disputatur: admittatur, per me licet, sed ad practicam morum theologiam, quam tradere mei fori est, nihil facit. Principia moralitatis sunt, objectum, circumstantiæ, & finis scilicet operantis, quia specialiter in actum influit, sed quot sint circumstantiæ? has dabit casus septimus.


De voluntario.

I. Andreas 1. Se inebriat, in qua ebrietate uxorem ac proles percutit, etiam cum periculo occidendi. 2. habet fodinam cupri casu aquis impletam, unde patitur damnum non modicum; cogitat ergo exhaurire aquam, sed videns, se non posse sine æquali damno proximi, hinc hæret ipsi aqua. Q. 1. quid & quotuplex voluntarium? Q. 2. quid ad 1? Q. 3. quid ad 2? R. ad 1. voluntarium est, quod est a principio intrinseco cum cognitione finis. aliud per- aliud imperfectum, aliud necessarium, aliud liberum, aliud in se, aliud in Causa, aliud positivum, aliud negativum. R. ad 2. Si talia se in ebrietate perpetraturum præviderit, aut prævidere potuerit, quod passim habetur ex præcedentibus, tum omnia illa sunt ipsi imputabilia ad culpam, quia voluntaria in causa, quam poterat, & tenebatur amovere, secus non . . . . Sed quid de illo, qui prima vice se voluntarie inebriat ratione effectuum ex ebrietate sequentium? R. ex S. Thoma. 2. 2. q. 150. a. 4. ☉. dicente: *diminuitur peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarii, unde Augustinus dicit*

*dicat contra Faustum (lib. 22. cap. 44.) quod Loeb culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit.* P. Billuart tom. XIII. pag. 294. edit. traject. dicit, non posse dici ipsi omnino involuntarios (effectus sequentes) quia fuit illi causa timendi, ne ratione privatus plura non facienda faceret: neque omnino voluntarii, quia non potuit certe praevidere aliquid mali, & quid mali faceret. Unde censeo, peccata inde commissa non omnino excusari, quia non sunt omnino involuntaria, minui tamen, quia minuitur voluntarium. an autem usque eo minuatur, ut de mortalibus fiant venialia? dicat me doctior, aut audacior. Conformiter ad dicta S. Thomae judico attendendum esse ad circumstantias, hæ enim in moralibus semper præ oculis habendæ, ex quibus colligetur, quomodo effectus sequentes prævisi, aut prævisu possibiles, & consequenter quomodo voluntarii, quomodo peccaminosi. Circumstantiæ sunt. E. g. indoles rixosa, 2. si soleat etiam sobrius recogitare injurias sibi illatas, motus vindictæ inde exsurgentes. 3. Societas inimicorum &c. pari modo discurrendum in materia luxuriæ, an huic vitio alias addictus, etiam morosis delectationibus tantum, an delectationibus carnalibus facile consentiens, in quo consortio fuerit &c. R. ad 3. aquam licite exhaurire potest, intendendo indemnitate sui, & permittendo damnum proximi: ordinatus enim amor incipit a se.

II. Benno deambulans, librumque legens videt Balbutium in horto proximi sui furari, sed legere pergit cogitans: quid ad me? cum tamen facile impedire potuisset. Q. 1. an illa omisso Bennoni sit voluntaria? an etiam imputabilis? R. ad 1. affirmative: quia est cum cognitione vel advertentia, & cum positione operis contrarii, qua non vult id, quod objicitur, qui est æctus proprius voluntatis, sicut velle. R. ad 2. affirmative: non quidem per justitiam nisi sit minister justitiæ, tum enim simul teneretur ad restitutionem, sed per charitatem distantem: quod tibi vis fieri & alteri feceris; non tamen semper ejusmodi omissionem mortalem agnoscimus, etiamsi materia sit gravis. Ita mox citandus, sed considerandæ sunt circumstantiæ.\*

\* Pringue tom. 2. pag. 10. & 11. bene observat, quod theologî hanc imputabilitatem negantes non intelligendi sint de lege charitatis, sed justitiæ tantum. 2. quod, quando a pœnitentibus non allegatur motiùm congruum, quare non impedierint damnum, quod facile impedire potuissent, interrogandi sint, an non lateat odium vel aversio erga personam damnificatam.



*De causis involuntarii scilicet violentia, & metu.*

III. Clotildis virgo nobilis honestissima vi oppressa concepit, hinc cum advertat se uterum gerere, omittit missam in diebus obligatoriis ex metu infamiae, donec in castello remotiore sit enixa. Q. quid violentia? quid & quotuplex metus? quid ad casum? R. ad 1. violentia est a principio extrinseco passio non conferente vim, sive renitente. Causat involuntarium simpliciter, quia est contra omnem voluntatem. Ad 2. est instantis mali causa mentis trepitiatio. Alius gravis, alius levis; gravis alius respectively, alius absolute talis. Ad hunc reducitur reverentialis connexus cum gravibus minis, & offensione eorum, quibus debetur reverentia immediata a potiori, si sit connexus cum verberibus, causat involuntarium secundum quid. R. ad 1. p. casus. Si Clotildis in- & exterius resistit, quantum potuit, non peccavit, quia deest voluntas. . . Sed quomodo resistit? R. interius mentem conjungendo crucifixo, qui tali non deerit cum sua gratia, exterius autem fugiendo, si possit, percutiendo, trudendo, clamando. . . Sed quid si stuprator stringat gladium, aut quid simile ad occidendum? R. defendat se observato moderamine inculpatae tutelae etiam occidendo, quia jam non amplius tantum est aggressor pudicitiae, sed & vitae. R. ad 2. p. licite omisit sacrum (dummodo non intervenerit conscientia erronea) non ideo quasi id, quod fit ex metu, non esset voluntarium, sed quia leges positivae, sive divinae, sive humanae regulariter cum tanto dispendio non obligant. Aliud foret, si ex metu infamiae procurasset abortum, hoc enim cum sit intrinsece malum, per metum qualemcunque cohonestari nequit. Vide prop. 34. ab Innocentio XI. damnatam.

*De ignorantia.*


IV. Casimirus iudex de scientia ad hoc officium necessaria minus habens, postquam varios commisit errores contra justitiam, monetur ab amico probo, & docto ut sibi consulat, ipsum enim in continuo versari peccato propter defectum scientiae, hinc in proxima confessione paschali scilicet, se accusat de suis erroribus commissis, promittitque emendationem, sed postea neque debitam studet acquirere scientiam, neque officium dimittit. Q. 1. quid & quotuplex ignorantia? 2. quid ad casum? R. ignorantia est carentia scientiae in subiecto capaci; alia privativa, alia pravae dispositionis sive contraria, quando

quando quis errorem contrarium habet. Alia juris, alia facti. Deinde antecedens, concomitans, consequens. Denique vincibilis & invincibilis. R. 2. ad casum. Ignorantia Casimiri fuit consequens, quia voluntaria in causa nimirum in negligentia studii. Est in se peccatum distinctum, dum versatur circa ea, quæ tenemur scire propter statum vel officium assumptum, non sic si versetur circa actum hic & nunc ponendum. Insuper semper peccat, peccato distincto, quoties circa officium delinquit, teneturque ad restitutionem si damnum tertio exinde provenerit propter rationem datam. Hæc peccata Casimiri per confessionem dictam dimissa non sunt, utpote Sacrilegam, 1. quia omisit peccatum ignorantia, 2. quia non habuit dolorem efficacem, ad hunc enim necesse erat, vel officium dimittere, vel saltem ejus provisionem tandiu alteri experto committere, donec ipse necessariam acquisivisset scientiam. \*

\* Hæc nullatenus ad iudices restricta sunt, sed ad omnes vel statum certum proficientes, vel officia gerentes ex lege naturæ extenduntur. Tales sunt confessarii, medici, chirurgi, curatores, tutores, consilarii, advocati, procuratores, superiores, religiosi, patres familias &c.

### *De concupiscentia.*

V. Conradus obvium sibi habet inimicum infensissimum, a quo multis antehac lacesitus injuriis, omnes tamen amore Christi tolleravit, & condonavit; nunc novis iisque gravissimis, oneratur contumeliis coram sociis, hinc præcipiti iræ impetu correptus baculo, quem manu tenet, adversarium percutit ad caput, qui statim succumbit. Q. 1. quid & quod duplex concupiscentia? 2. an mors illa sit Conrado voluntaria? R. ad 1. concupiscentia est motus seu passio appetitus sensitivi prosequentis bonum, prout distinguitur a motu refugiente malum, ut metus facit. Est duplex; antecedens, ut dum proposito objecto ad talem passionem alliciente commovetur passio, voluntatemque pariter movet ad idem appetendum. Altera consequens voluntatem ad objectum jam inclinatum sequens, sed inclinationem augens; prima auget voluntarium imperfectum, minuit perfectum & liberum, quia quandoque minuit, quandoque tollit iudicium rationis. R. ad 2. si hic attendatur ad voluntarium imperfectum prout est cum cognitione finis materialiter sive quomodocunque, ut brutis convenit, non videtur dubium, quin illa mors Conrado sit voluntaria. Verum si loquamur de voluntario perfecto ac libero, quod est cum cognitione dignitatis, finis, proportionis mediorum, ac sub



indifferentia iudicii, si ille subitanus iræ impetus non omnino hoc sustulit, certe ita diminuisse videtur, ut a mortali eximat; quod inde erui potest, quia non fovit iram aut odium, quia non usus est instrumento lethali, sed ex præcipitania iræ percussit.


### De voluntario libero.

VI. Duratius ex præcedente casu lecto infert: ergo in homine lapsio non datur libertas, vel erit signum sine significato, quia juxta 1. Joan. cap. 2. *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum*, aut si detur hic titulus sine Vitulo, certe ad merendum aut demerendum non requiritur. Q. quid & quotuplex libertas? an detur? an sit necessaria ad merendum aut demerendum? R. libertas juxta S. Thomam in variis locis, est *vis electiva mediorum servato ordine suis*. Juxta alios dicitur: *facultas, que positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere.*\*

\* Crisi secundæ definitionis non immoror, sed relinquo dogmaticis, quia ad rem moralem nihil facere videtur, neque hoc tempore est ad ædificationem, quo depositis omnibus litigiis scholasticis unanimiter obsistendum lupis, in vestimentis ovium venientibus, dominique ovile invadentibus.

Dividitur in eam, quæ est a coactione, & a necessitate. Hæc vocatur libertas indifferentiæ, & cum indifferentia duplex sit, scilicet ad agere vel non agere, vel ad agere oppositum, hinc etiam bifaria est libertas a necessitate, nimirum specificationis & exercitii. . . . Hanc in homine lapsio dari probant leges, consilia, exhortationes, deliberationes, præmia & pænæ, clamat experientia, qua patet, unum ab homine libere eligi, alterum relinquere, ab incepto subinde cessari, postea iterum reassumi. . . . Eandem ad me — vel demerendum requiri ostenditur hac ratione: ad me — aut demerendum requiritur actus moralis, ut actus sit moralis, necesse est, ut morum regulis dirigatur, ut autem dirigi possit, debet esse liber, actus enim necessarius, cum aliter esse nequeat, dirigi non potest. vid. prop. 3. Jansenii & 67. Baji. non tamen requiritur libertas contrarietatis, sed sufficit contradictionis, ut patet in salvatore nostro Jesu Christo, in sanctissima ejus Matre Maria, aliisque sanctis in gratia confirmatis, qui meriti, non demeriti fuere capaces. . . . jam ad Duratium: hujus illatio nulla est; ex eo enim, quod in casu legerit, per concupiscentiam antecedentem modo diminui, modo tolli libertatem, inferre debuisset; ergo datur libertas: quia quod non est,


nec



nec tolli, nec diminui potest. Textum S. Joannis vel non legit in fonte, vel malitiose allegavit; etenim si tantum paululum elevasset oculos, legisset in præcedente versu: *nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt.* Ad quid illa adhortatio, si non detur libertas?

VII. Lupus custos Ecclesiæ parochialis pauperis unam casulam, unumque calicem argenteum tamen habentis, habet concubinam, quæ ipsum multum urget ad præstanda præstanda, hinc cum illa concludit auferre calicem Ecclesiæ cum casula, quod & illa auxiliante facit effringendo Ecclesiam (clavem studio omisit, ne de se haberetur suspicio) & hæc quidem post vesperam Sabbathi, ut altero die ob defectum calicis ac casulæ populus non habuerit sacrum. Q. quid & quotuplex circumstantia moralis? R. est actus humani accidens ipsum inesse morum jam constitutum moraliter efficiens. Est septenaria: nimirum *quis?* custos Ecclesiæ. Egregius custos ovium lupus scilicet. Addit malitiam injustitiæ distinctam ratione officii. *Quid?* calicem cum casula. Addit malitiam sacrilegii realis, simulque furtum, propter quantitatem multiplicem aggravat. *Ubi?* in Ecclesia, addit malitiam sacrilegii localis. *Quibus auxiliis?* adjuvante concubina. Ratione inductionis addit malitiam scandali. *Cur?* ad præstanda concubinæ promissa. Auget malitiam finis turpissimus operantis. *Quomodo?* effringendo Ecclesiam, addit malitiam novi ac distincti sacrilegii localis, inducitque excommunicationem Papæ reservatam. C. conquæsti 22. de sent. excom. quia effringens & simul spolians, non si tantum effringens aut tantum spolians fuisset. *Quando?* in die sabbathi, ubi utique prævidere poterat qua custos Ecclesiæ, altero die ob defectum calicis & casulæ non posse haberi sacrum, & consequenter omnium illorum peccatorum omissionis sacri cum sua concubina se reum fecit. Supponitur in casu, quod ob distantiam loci non possit aliunde haberi calix cum casula. Ex his jam patet, quod circumstantia adhuc dividatur in eam, quæ speciem mutat, & in eam quæ mere aggravat.

VIII. Limmelius propter longum quoniam in foro deambulans videt pauperem seminudam, hujus miseria commotus, cum nihil habeat, domum redit, ac hospitiæ suæ rosarium argentea imagine crucifixi, aliisque sanctorum numismatis pretiosis ornatum clam auferit, judæoque vendit pro vili toga, quam pauperi tradit, gaudens plane, quod nudum cooperuerit. Judæus vero cum imagine crucifixi, aliisque sanctorum numismatis, antequam vendat,



dat, varia habet ludibria, blesphemiasque contra evomit. Q. 1. an deambulatio Limmellii sit actus indifferens? R. neutiquam, sed malus, utpote otiosus, quia non in finem honestum relatus est. *Sive manducatis*, inquit Apostolus. 1. Cor. cap. 10. *Sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite* quæ in fine honesto implicatur. Q. 2. an intentio juvandi feminudum cohonestet furtum illud? R. non; quia est causa mali, non autem sunt facienda mala, ut eveniant bona. Apost. Rom. 3. . . . Supponit responsio, illum non esse vere sed fecte indigentem extreme, uti subinde contingit in pauperibus in viis publicis se exponentibus, suamque paupertatem ad summum exaggerantibus, unde fit, quod alii in extrema necessitate constituti non attendantur. Si tamen ille pauper revera fuisset in extrema necessitate, Limmellius nihil habens superflui, & quoad statum, & quoad naturam, quo succurreret, prius debuisset pro paupere illo petere, ostendendo aliis extremam ejus necessitatem, quo facto, si nihil obtinisset, quod credibile non est, non peccasset ratione furti, cum enim tunc omnia rursus fiant communia, sic potuisset pauper accipere sibi necessaria, quin incurreret reatum furti, ergo & alius pro ipso juxta regulam: quod quis per alium per se fecisse censetur. Verum hæc omnia non exculpant Limmellium a peccatis assignandis in Resp. ad 3. Q. 3. an ille eventus blasphemiarum imaginibus crucifixi, sanctorumque illatarum addat ad malitiam? R. quis dubitat? quia prævisus & intentus saltem indirecte, si enim in Christianis sacris fuerit edoctus, poterat facile scire, quod Judæi contra ejusmodi sacra, sicut contra prototypon habeant odium implacabile. Vid. concil. Vaurense can. 82.

IX. Lyfias rusticus audit Catechistam circa tertiam orationis dominicæ petitionem dicentem: quod debeamus omnia velle, quæcunque vult Deus. Infert Lyfias: ergo debeo velle omnia mala, quæ eveniunt, quia nihil fit nisi Deo volente. Ergo oratio dominica sibi contradicit, cum in petitione ultima dicamus: *libera nos a malo*. Deinde obvium habet pauperem, cui dicit: libenter tibi darem, sed ipse sum pauper. Q. 1. an Catechista bene explicuerit illam petitionem tertiam? R. negative: sed debuisset dicere: debemus omnia velle, ut vult Deus, si tamen voluntas Dei per præceptum sive affirmativum, sive negativum nobis innotescat, potest enim eadem res sub diversis motivis modo ut bona, modo ut mala apprehendi. Et hinc rusticus bene intulit. \*




\* Monendi hic veniunt, qui propter omissionem alicujus boni five fortunæ, five corporis, five conjugis aut prolis solatium omne respuunt, ut imitentur vatem regium Lib. 2. Reg. cap. 12. VV. 22. & 23. & Hulficum. cap. 1. v. 21.

Q. 2. an per voluntatem dandi elemosinam Lyfias acquisiverit meritum elemosinæ? R. affirmative quoad meritum essentielle: si voluntas fuerit efficax, ut data oportunitate esset operata, quia nihil in executione, quin prius in intentione: intentio autem est anima executionis. Non tamen quoad meritum accidentale, e. g. indulgentias; hæ enim operi, non voluntati annectuntur.

## §. II.

### *De conscientia, five proxima actuum humanorum regula, de erronea.*

I. **B**olena conjugata constitetur, se ex oblivione omisisse aliquando, quod, dum esset soluta, sit fornicata; inter quæstiones desuper factas invenit confessarius, quod cum consanguineo mariti in secundo gradu. 2. dicit: cum nuper essem gravida, ex appetitu subito me invadente in die Sabathi manducavi carnes, cogitavi quidem non esse licitum, sed sic perrexi. 3. addit: sum etiam valde averfa a meo marito, sed nescio quare. Et hinc 4. variis vicibus denegavi debitum conjugale. Dum confessor vult dicere dicenda, intervenit Bolena: adhuc unum. 5. Etiam dubito de valore mei matrimonii. Q. confessor: quare? R. Bolena, quia sic sum averfa a meo marito. Reponit confessor, nihil est. Q. 1. quid & quotuplex conscientia? R. est judicium intellectus practici dictans ex principiis communibus aliquid in particulari faciendum ut bonum, vel fugiendum ut malum. Alia vera, alia erronea, recta, falsa, certa, probabilis, dubia, scrupulosa, perplexa, laxa, pharisaica. Q. 2. an confessor debeat monere errantem? R. si pœnitens erret vincibiliter, absolute monendusest, sit vel non sit spes emendationis, quia est in malo statu, cum etiam sine monitione peccet formaliter, & sit periturus, qui tamen per monitionem forte salvandus. Si vero erret invincibiliter. R. vel est spes emendationis, nec graviora sequuntur incommoda, monetur, quia confessor qua doctor & medicus debet etiam peccata materialia a suo cliente avertere. Secus non . . . . Sed quandonam judicandus errare vincibiliter? R. quando anxiatur, interrogat, dubitat, ex credulitate tamen *approbabili & discreta*, ut loquitur Innocentius III. *cap. inquisitione de sent.*



*excom.* Item quando error versatur circa præcepta primæ & secundæ classis secundum se sumta. R. ad 2. de se quidem dicendum, talem peccasse graviter, quia videtur ei fuisse perinde, qualecunque sit peccatum; carnes comedam, ita communior & probabilior tenet. Verum in praxi hæc sententia paululum moderanda, & dicendum, quodsi illa sit alioquin proba, non solita peccare graviter, quod ex confessione colligi potest, & ille appetitus subitaneus quodammodo iudicium rationis perturbavit, non videatur damnanda peccati gravis propter defectum advertentiæ plenæ, sed instruenda in suo errore, quod tale quid faciens non peccet ad avertendum damnum proli imminens. Contrarium statuendum, si aliæ adsint circumstantiæ.\*


\* *Obfer. 1.* circa rudes, simplices, pueros, dum de aliquo se accusant, quod ex conscientia erronea commissum, malitiæque tantum in communi apprehensa; attendendum esse ad statum pœnitentis ex confessione hauritum, an sit timorata conscientia, habens horrorem peccati gravis, nec ne; & ex illo post unam alteramve quasiunculam iudicandus; alias enim, cum tales inter magnum vel grave, & inter mortale ex sua simplicitate distinguant, confessarius post multas interrogationes tam instructus erit, ac si nullas fecisset, totusque fructus temporis perditus erit fatigatio sui & pœnitentis, Aversio ejusdem a sacramento & confessario.

2. Hæc tamen dicta sint pro illis, qui eodem pene sunt semper genio, nec ab uno ad aliud deflectunt extremum, ut contingit homines dari, qui nunc devoti, postea omnino sunt dissoluti &c. juxta quod diversus humor forte in corpore regnat, tales enim sunt iudicandi juxta statum, in quo fuerunt dum actum posuerunt; sed *dieis* hoc impossibile observatu in copia pœnitentium ignotorum. R. prodetur indoles per confessionem sinceram, & si non, procede secundum regulas traditas, & fecisti satis, alias enim hoc officium foret intollerabile.

*Ordo præ-*  
*posterus*  
*sed neces-*  
*sario com-*  
*mutatus,*  
*quia exinde*  
*reliquæ*  
*fluunt so-*  
*lutiones.*

R. ad 5. Supposito, ut in casu insinuat, quod Confessor præviderit graviora mala, ut desertionem conjugis, prolium, rixas, diffamationes, aliaque scandala, bene dixit, nihil esse; quia dubium nulla ratione suffultum non dubium sed scrupulus est; tale autem est dubium Bolenæ, etenim plures conjuges abinvicem sunt averfi, quin de valore eorum matrimonii prudenter dubitari possit. Accedit, quod Pontifices requirant dubium ex credulitate probabili & discreta. Denique cap. in mandatis dist. 43. dicitur: *quod, si quis ingesserit se, & provocaverit nos dicere, quæ cum minus recte agentem non oportet audire, prudenter eum oportet eludere.* Pringue Tom. II. pag. 182. & Tom. XI. pag. 296. ex his jam R. ad 3. quod confessor debeat

Bole-



Bolenam admonere ad illam averfionem deponendam, atque ad verum probumque amorem conjugalem, non folum in- fed et externum, alias eam fore caufam plurium peccatorum tam ex parte fui, quam ex parte conjugis. \*

\* Rationem averfionis explorare oportet, ut fic confeffor congrua præfcribere remedia valeat, fed quia illa dicit: *nefcio quare*, hinc indaganda indoles Bolenæ, an ipfa non fit caufa, ut corrigatur; fi neque hoc, eo fortius inflet confeffarius, ut refiftat diabolo discordiarum patri per devotas preces, per frequentem fufceptionem Ss. Sacramentorum pœnitentiæ & Euchariftiæ, per fidem, fpem, & charitatem, de mane, vefperi, ac fubinde per diem, & præcipue ubi averfionis motus infurgit, ut contrarium faciat.

R. ad 6. ex Sanchez poffe (videtur debere) præcipi, ut reddat debitum, quia in circumftantiis cafus redditionem debiti vitare nequit fine peccato formali. Pringue ad hanc quæft. dicit, non effe opus, illi præcipere, ut reddat debitum, poffet enim illi dici: fcire debes vi ftatus conjugalis, quod denegatio debiti fit peccatum grave, & quamdiu hanc voluntatem retines, retines voluntatem peccandi, ergo es abfolutionis incapax. Ex qualitate refponfi detur vel denegetur abfolutio. \*

\* Quoad modum forte melius fed quoad rem idem videtur.

II. Briçius 1. omifit preces confraternitatis, ad quas judicavit fe fub mortali obligari, fed confeffarius tacet, ne edoctus de nullitate culpæ pluries omittat. 2. Incarceratus propter delictum judicavit fe peccare non audiendo facrum in die dominica. 3. Idem judicium habet, dum in die parfceves infirmus non audit facrum. R. ad 1. omiffio precum confraternitatis de fe non eft peccatum, fed propter errorem, quia non eft ex fide. Confeffarius peffime tacuit, quia per omnia opera noftra bona tantum honoris Deo non præftamus, quantum injuriæ ipfi inferimus per unicum peccatum mortale, pariter loqui debuiffet, etiamfi pœnitens tantum judicaffet veniale. \*

\* Idem dicendum de docente, qui propter frivolas anxietates inculcat rigores & obligationes titulo purioris vitæ, ubi non funt. Unde fic peccat fine fundamento ab obligatione abfolvendo, ita peccare potefit obligationem, ubi nulla eft, inculcando. Pringue tom. II. pag. 181.

R. ad 2. judicando fe peccare, dum incarceratus omifit facrum, non peccavit defectu libertatis, nifi delinquendo prævidiffet, aut facile prævidere



potuisset, tamen enim illa omisso foret voluntaria indirecte. R. ad 3. Si ratione infirmitatis potuerit absolute adire templum, & per sacrum intellexerit ceremonias illius diei, peccavit, quia contra conscientiam, qua non deposita, voluit peccatum apprehensum. Si vero infirmitas sustulit potentiam adeundi Ecclesiam, aut is intellexit sacrum proprie tale, non peccavit propter impossibilitatem. In ultimo tamen supposita potentia judicamus, illum debuisse adire Ecclesiam, quia erronee putavit, se obligari ad sacrum, & consequenter tenebatur ad id, quod poterat, scilicet ad Ecclesiam adeundam, ut videret, an haberetur sacrum, vel ad interrogandum, quia ad hæc liber, & absolute potens erat.

### De perplexa.


III. Candidus infirmus judicat se teneri ad commestionem carniū tempore quatragesimæ ad conservandam vitam alias perdendam, sed simul judicat, se peccare comedendo carnes propter præceptum Ecclesiæ. Q. 1. quomodo deponenda conscientia erronea? R. non temere (nisi forte temere ac sine fundamento orta esset, uti scrupulosus contingit) sed prudenter & deliberate, quia forte verum, quod error putatur. Deponenda ergo vel oratione, petendo a Patre luminum gratiam illustrationis, vel studio consulendo libros aut viros doctiores & probos. Hominibus rusticis, uti & aliis rudibus sufficit dictum Parochi, vel confessorii, alia enim media illis non suppetunt. Q. 2. quid faciendum Candido in sua perplexitate, casu, quo illam deponere nequeat? R. si utrumque extremum ex æquo peccaminosum judicet, faciat, quidquid velit, non peccat ob defectum libertatis moralis. Si vero unam partem minus malam reputet, hanc eligat, & non peccabit, quia ut dicitur in jure cap. Duo. & cap. Nervi distinc. 13. *qui murorum undique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi se in fugam præcipitat, ubi brevior murus invenitur.* Si vero id, quod credit majus malum, amplectatur, peccat, non quidem tota malitia, quæ apparet, quia non tota adest libertas, sed secundum excessum malitiæ cum comparatione alterius malitiæ apparentis ut minor, quem excessum vel ut gravem, vel ut levem apprehendit. Ita Henno cum aliis.

### De scrupulosa.

IV. Damasus vir honestus fugiens peccata carnalia, sed pseudo-politica, etiam gravia subinde committens, dum veniunt festa solenniora, vult quidem  
fufci-

fufcipere sacramenta pœnitentiæ, & Euchariftiæ, fed fentit horrorem, & tremorem, hinc femper differt ad ultimos dies Pafchæ, ubi venit cum magnis foliis præmittens ferupulos impertinentes, de quibus eft follicitus, peccata autem gravia ad finem refervat, hinc confeffarii eum ferupulofum, ac mere talia afferentem judicantes confessionem abruperunt, venit tandem poft annos ad aliquem, qui totum audit, advertitque ferupulofum quidem in confitendo Damafum, fed non in peccando, fimulque poft unam alteramve quæftiunculam colligit, eum a variis annis non effe integre confeffum.

Ad Q. quid ferupulus? quæ caufæ? quæ remedia? uti & de modo tractandi ferupulofum? videantur Sylvius, Sebaldus, & Neo confeffarius R. Patris Reuter. unum remedium generale omittere haud poffum, quod refert S. Antonius in fua fomma 1. p. Tit. 3. c. 10. de quodam ferupulofum, qui a defuncto poft mortem ei apparente petiit confilium pro ferupulis; fed aliud non tulit, nifi hoc: *confule bonos & prudentes viros & acquife eis.* Q. 2. an confeffarius pœnitentem fibi prima vice ferupulofe confitentem poffit ftatim judicare ferupulofum? R. non auderem quia licet quis fubinde fit anxius circa multa, forte rationalis eft anxietas, Lacroix N. 517. præfertim cum notum fit, dari ferupulofos in uno, & non in aliis; in confitendo & non in agendo. Denique tot & tanta privilegia ferupulofis conceffa concedere non plane noto (non videtur autem, quod ex una confessione poffit effe cognitus ftatus pœnitentis protantis) res mihi periculofiffima apparet, quare præcedentes Damafi confeffarios laudare haud poffum. Q. 3. quomodo cum Damafum procedendum? R. ante omnia 1. confeffor eum follicite difponat ad confessionem generalem, faltem a tempore, quo non fecit confessiones integras. 2. Juvet in examine fuaviter, percurrendo decalogum, præcepta Ecclefiæ quoad fpecies peccatorum Damafum probabiliter obvias, præfertim ftatum illius pseudopoliticum. 3. Si hoc fecerit, concedatur, ut ter vel quater fuperaddat, quæ adhuc incidunt; fed tunc attendat confeffarius, an non eadem referat, & tum femel pro femper interdicitur ipfi, ne fe amplius de peccatis præteritis examinet. Hucusque quoad rem Prickarz N. 114. 4. Timorem illum finiftrum de confessione adimat inftituendo circa modum examinis inftituendi, & confessionis peragendæ, ut fæpius confiteatur, & fic laqueus diaboli conteratur. 5. Antitoda præfcribat, inter quæ contra Pseudo-politiam ex cujus legibus unum genu Deo, alterum Diabolo flectitur,



tur, mel in ore, fel in corde favetur. Videtur præcipuum, ut actus charitatis tam in - quam externi erga Deum & proximum sæpius eliciendi inculcentur.

### De Dubia.

V. Elisabetha vidua varios celebravit contractus, ut dicebatur, periculosos, quia tamen postea a viris doctis audit, illos probabiliter sustineri licitos, omnem deponit anxietatem, judicatque se non peccasse. Q. 1. quid dubium & quotuplex? R. dubium est hæsitatio intellectus inter utramque contradictionis partem. Dividitur 1. In *speculativum* versans circa naturam rei, aut valorem actus secundum se, in *speculativo-practicum*, quod est circa honestatem vel inhonestatem actus secundum se quidem, dicens tamen ordinem ad praxin. Et in *practico-practicum*, quod est de honestate, vel inhonestate actus hic & nunc ponendi. 2. In dubium *Juris*, quando dubitatur de existentia legis & facti. An hic actus simpliciter, aut in his circumstantiis sub lege comprehendatur. 3. In *positivum*, ubi pro utraque parte habentur rationes æquales, aut fere. Et in *negativum*, ubi pro neutra parte apparent rationes, est potius nescientia. Q. 2. quid de Elisabetha? R. judicium, quo judicat, se non peccasse, est conscientia consequens, a qua malitia vel bonitas actus neutiquam dependet; vel ergo, dum tales inibat contractus, prudenter judicabat, se non peccare, & non peccavit, vel judicabat, se peccare, aut saltem dubitavit, & illius speciei peccato peccavit, quod judicavit, aut esse dubitavit. \*

\* Interrogantes de similibus non sunt redarguendi, quia petunt instructionem vel in ordine ad confessionem peragendam, vel ad similes actus deinceps rite ponendos vid. Prickarz Num. 30.

### De Probabili.

Franciscus varia bona subhastans subornat emtores fictos, ut pretium augetur, verum ab amico monitus, hanc praxin esse illicitam omnes libros probabilissimum docentes inspicit, sed ne vel unum inter eos, quos numerosos habet, invenit, hanc praxin approbantem; hinc altero die quidem ab illa abstinet, sed dicit amico: si vel unum reperissem mihi faventem, tua dicta sprevissem. Q. quid de sequela sententiæ probabilis? R. dum agere debes, age juxta probabilem, quando facta juxta conditiones rei & personæ, loci & temporis inquisitione debita non apparet alia aut tutior aut probabilior

lior, quia ad impossibile nemo tenetur. Si vero contraria tibi subjective appareat verifimilior, illam sequeres, si prudenter agere velis, cum enim obiectum intellectus humani sit verum, ad illud meliori modo, quo potest, tendat, oportet. Si utraque tibi videatur æque probabilis, author tibi sum, ut eligas tutiorem, toties responsis Pontificis non tantum verbis consultivis, ut aliqui volunt, sed etiam præceptivis, inculcatam. Aliis omissis unica sufficit clementina: *exivi de ver. sig. ad evitandos graves remorsus conscientie pars securior est tenenda*. Q. 2. quid de Francisco? R. non putem, illum apud ullum probabilistam locum habiturum, etenim ille non verum sed quod sibi placitum quæsit, contra illud Eccl. 32. *ante omnia verbum verax præcedat te*. Deinde agere paratus fuit secundum propositiones 28. ab Alexandro VII. & 3. ab Innocentio XI. damnatas. Quid ergo cum tali agendum? R. idem, quod cum illis, qui mere judicarunt, & præcticarunt ut licitum, quia suo desiderio congruum.


### §. III.

#### De Lege sive remota actuum humanorum regula.

#### POSITIONES.

**L**ex est ordinatio rationis ad commune bonum, ab eo, qui curam communicatis habet, promulgata. S. Thom. 1. 2. quæst. 90. a. 4. ejus condiciones complectitur canon 2. dict. 4. ex Isidoro: erit honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens &c. ad rō justa requiruntur quatuor causæ scilicet *materialis*, ne præcipiat quod malum, aut prohibeat, quod bonum: *formalis*, ut onera subditis imponantur cum proportione ad facultates. *Efficiens*, nec ultra potestatem. *Finalis*, ut ad bonum commune. Est tamen differentia, quod legem secundum causam materialein injustam implere non liceat, bene vero secundum alias causas injustam, quamvis subditus non teneatur. Dividitur in æternam, naturalem, divinam, hæc in veterem & novam, deinde in humanam, hæc in Ecclesiasticam & civilem. Potestas legislativa convenit communitati, aut ejus præsidi, talis communitas est Ecclesia catholica, ejus præses & caput visibile summus Pontifex. ergo, ut lex actu obliget, promulgatio requiritur, ut conditio insupplebilis.

De



### De Justitia legis.

I. Hiobius Princeps acatholicus videns ærarium suum exhaustum auget vectigalia, ut iterum repleatur. 2. Ex zelo religionis mandat, ut omnes qualescunque sint, in diebus dominicis saltem semel appareant in concione, ministri exinde occasionem arripiunt catholicos, quorum non paucos ibi latitare norunt, ratione fidei in concionibus exagitandi. Q. an utraque lex sit justa? R. ad 1. Si ad bonum commune, congruam sustentationem Principis aut officialium reipublicæ, justa est, qui enim reipublicæ inservit, de republica vivat, oportet. Si vero in gravamen subditorum ejusmodi onera augeantur, vel nova imponantur, pro luxu & luxuria Principis sine vel necessitate vel utilitate reipublicæ, definit lex esse justa, & incipit esse exactio tyrannica, quæ numeratur inter peccata in cælum clamantia. Habet insuper annexam excommunicationem Papæ reservatam in Bulla cœnæ (quæ adhuc viget) Sebaldus ex Suarez, item Prickarz. Eandem censuram incurrun-  
 runt gabellarii, seu officiales gabellas injustas exigentes, non tamen sponte solutas recipientes, quia Bulla ponit: *exiguur*; contrarium tamen est dicendum vi can. 18. ejusdem Bullæ de recipientibus a personis Ecclesiasticis *etiam sponte dantibus*. R. ad 2. legem esse injustam ratione materiæ, quæ inducit in periculum perversionis. Patet ex responso Pauli V. ad anglorum interrogationem dato. Obedientiam mere politicam si Princeps petat, non hoc sed aliis modis exigat, nequiquam tamen injustam dicimus ob defectum potestatis; sic enim juxta Bannez, Suarez, Lugo, &c. infideles Principibus christianis subiecti sub pœnis possunt compelli ad audiendum verbum Dei, talisque lex pœnalis conscientiæ vim non infert, sed *crassam* eorum in salutis negotio negligentiam supplet. Hinc Gregorius XIII. constit. 92. statuit, ut Judæi sub pœna interdicti cum fidelibus commercii aliisque multis ad audiendam singulis Hebdomadis christianam concionem ab Episcopis compellantur. Quæ constitutio adhuc Romæ viget.

### De Lege aterna & naturali.


II. Capreolus philosophus sed Neo-disputans cum Canisio dicit, legem aeternam & naturalem esse idem. 2. Omnia quæ sunt conformia juri naturæ esse facienda, atqui marrimonium est tale, ergo Coelibatus est illicitus. 3. Si autem marrimonium ob quædam obstacula fieri nequit, saltem multa erunt licita,



licita, si non ex se, ut clamant figuli peccatorum, certe ex præsumta dispensatione Authoris naturæ. Quid respondebit Canisius ad hæc Neo-philosophi objecta? ad 1. dicat, quod lex æterna sit ipsa Dei sapientia, dirigens actiones & motiones creaturarum ad bonum commune totius universi. Lex vero naturale sit lumen quoddam creaturæ rationali impressum, & participatum a lege æterna. Differunt ergo entitative & materialiter, conveniunt vero quatenus eadem prohibent, eadem præcipiunt. Utraque a divina positiva discrepat, quod hæc sit libera, in quantum a libera Dei voluntate procedit, illæ vero sint necessaria. Ad 2. quod sit distinguendum inter jus naturæ permissivum & præceptivum. Hoc ita obligat ad unum, e. g. honorem Deo vel parentibus præstandum, ut nunquam permittat oppositum; econtra illud ita unum approbat ceu bonum & justum, quin ejus oppositum reprobet ceu malum & injustum. Et de hoc genere est communitas bonorum, status conjugalis &c. Quæ ita legi naturæ sunt conformia, quin eorum opposita sint naturæ difformia. Ad 3. quidquid intelligat capreolus semper erunt talia, per quæ finis adæquatus a natura intentus frustreretur, consequenter intrinsece mala ab authore naturæ indispensabilia; utpote qui naturas rerum mutare nequit.

### *De promulgatione legis Pontificiæ.*

III. Homo bonus lector in ordine religioso per litteras privatas percipit a Benedicto XIV. esse damnatas propositiones quasdam duellum concernentes, quas ille hætenus docuit, postea audit Clementem XIII. vel maxime urgere legem abstinentiæ a lacticiis tempore quadragesimæ, eaque de re speciales dedisse litteras ad ordinarios locorum, sed ille neutrum curat, quia leges illæ in Diœcesi non sunt promulgatæ. Q. an requiratur promulgatio legum Pontificiarum in singulis diœcesibus ut obligent? R. videri omnino, si novam inducant obligationem, alias enim daretur confusio in populo, dum alii, quocunque modo scientes tenerentur, alii ignorantes non tenerentur, hinc quoad secundum bene judicavit Homo bonus; quamvis enim lex de abstinentia a lacticiis tempore quadragesimæ sit antiquissima; germanis tamen propter ejus impossibilitatem & præscriptionem semper est nova.




Verum si declarent tantum jus antiquum, quales sunt leges dogmaticæ, damnantes propositiones aut libros contra fidem errantes, sufficit, quod Romæ promulgentur, quia quovis modo in notitiam alicujus erroris veniam, etiam si proprio studio, jus naturæ dicat, ut abstinence, & consequenter homo bonus doctrinam theologorum de promulgatione legum Pontificiarum, in qualibet diœcesi requisita quoad primum male applicuit. Vide Cabassutium lib. 1. Theor. & prax. cap. 4.

#### *De acceptatione legis.*

IV. Nicolaus Episcopus videns in sua Diœcesi diebus dominicis & festivis plurima perpetrari mala, & verificari illius parochi dictum: Parochiani mei per totam hebdomadam sunt angeli, sed in diebus dominicis diaboli incarnati, de Consilio Capituli abrogat dies festos cum Jejuniiis, quæ transfert in ferias quartas vel Sabbata adventus, præcipit vero sub multa pecuniaria Ecclesiæ solvenda, ut diebus festivis abrogatis populus de vespere post labores peractos signo dato compareat in Ecclesia, ibique parochi præorante recitet rosarium cum litaniiis de omnibus sanctis. Sed populus in nullo obediens iis diebus otatur, jactans, se induci in errorem contra cultum sanctis exhibendum, neque se esse quakeros, qui de nocte conveniunt. Satrapæ autem ad omnia tacent, quia lex non est munita placito Principis. Q. 1. an requiratur promulgatio legis revocatoria? R. Si sit lex onerosa, de se non requiritur, sed sufficit, quovis modo innotescat revocatio, quia est destructio legis, minus autem requiritur ad destructionem rei, quam ad ejus constitutionem. In casu tamen requirebatur propter scandalum alias oriturum. Contrarium dicimus de revocatione legis gratiosæ, aut privilegii pluribus concessi, tum enim omnino necessaria videtur promulgatio in Metropoli cujuscunque diœceseos, si vero sit privilegium personale, debet ipsi privilegium habenti intimari, alias pro utroque plurima sequerentur absurda moribus formandis contraria. Q. 2. An lex dependeat a populi acceptatione in vi obligandi? R. negative: populus enim non acceptando legem justam peccat, ut patet ex Apost. ad Hebr. 13. Rom. 13. Luc. 10. & ex prop. 28. ab Alexandro VII. damnata. Q. 3. Quid placitum regium? R. Juxta


Theolo.



Theologos est privilegium quibusdam Principibus sæcularibus a summis Pontificibus circa leges disciplinares concessum, ut ab eisdem visæ, eorumque placito munitæ tum demum in ipsorum regnis promulgentur. Privilegium autem extendi non debet, neque quoad personas, neque quoad loca, neque quoad materiam, cum sit odiosum, sicut dispensatio, consequenter stricte interpretandum. Sed cum placitum regium sit juris peritis modernis jus quoddam inspiciendi leges pontificias, omnibus Principibus conveniens, hinc oritur dubium, quid per Jus illud intelligant? R. ergo 2. Si intelligant Jus strictum tribuens inspectionem autoritativam concedi haud potest, omnes enim in spiritualibus subditi sumus summi Pontificis, quis vero hanc potestatem subdito unquam asseruit in regno, ubi potestas legislativa superiori immediate a Deo est data. Verum si per illud Jus nil aliud velint, quam licentiam quamdam præsumtam, leges pontificias inspiciendi, an non contineant aliquid juribus Principis, aut Patriæ privilegiis adversum, an sint loco temporique convenientes (sic juxta quemdam thesistam antwerpensem visæ non placetatz dicuntur) ut contrariis existentibus possit fieri supplica remonstrativa ad summum Pontificem, quatenus durantibus difficultatibus vel semper, legem pro illa provincia tollat, vel, si ad tempus, tantisper suspendat (quod utique faciet benigna mater Ecclesia, cum in universalissimo regno Ecclesiastico omnia providere haud possit) hoc modo contrarii non sumus, cum hoc ad pacem inter rempublicam sacram & politicam conservandam, ad conscientias tranquillandas omnino necessarium videatur. Ex his jam patet, quid dicendum de populo inobediente, quid de satrapis.

#### *De potestate legis humanæ.*

V. Proclus Episcopus tempore quadragesimæ dispensat in abstinentia a carnibus, sed 1. sub eadem obligatione injungit dispensatione utentibus, ut quotidie dicant quinque Pater et Ave, vel eliciant actus fidei, spei, & Charitatis ac doloris de peccatis cum proposito. 2. Patroclus dispensatione utens hæc parum observat. 3. Ejus uxor hæc facit quidem, sed secundum piam consuetudinem vel de mane vel 4. sub missa in dominicis & 5. quidem actus theologicos cum dolore tantum mentaliter elicit. Q. An Proclus po-



tuerit sub obligatione gravi injungere materiam levem, qualis est in casu assignato? R. negative: quia materia levis est incapax obligationis gravis, debet enim esse proportio inter obligationem & materiam præceptam, sicut inter culpam & pœnam, ne majorem imponat, minorem tamen imponi posse non negamus. Et hinc ad 2. sequitur, quod Patroclus non peccaverit graviter seposito contemptu, quia obligatio utpote cuilibet diei annexa levis erat. Ad 3. Uxor Patrocli satisfecit, quia humano modo substantiam præcepti posuit, quod est intentum legislatoris. Ad 4. Neque impedit, quod in dominicis sub missa, quia lex una non impediēbat alteram, sed potius juvabat. \*

\* Vix ego confulerem absque peculiari necessitate, ut quis eodem tempore & Missam die festo audiret, & horas canonicas persolveret. Contrariam sententiam utpote communem non improbo. At tam severa œconomia qui tributa Deo debita solvunt, nescio, quo animo divitias misericordiæ divinæ copiosas sperare valeant. cl. Concina. Tom. VI. lib. 1. diff. 5. cap. 10. Num. 3.

Ad 5. Cum legifer pure humanos actus mere internos præcipere non possit, quia de illis nec judicare, nec ad illos cogere potest; qui actus tamen ad potestatem legislativam sunt requisiti. Hinc uxor Patrocli quoad illos actus non judicatur satisfecisse, neque tamen propter levitatem culpanda graviter, sed suaviter inducenda, ut durante saltem obligatione illos actus etiam ore eliciat.

### *De obligatione ejusdem.*

VI. Davisius herus acatholicus habet Misipium catholicum pauperem adeo debilem, ut neque pedibus consistere possit, cui omnia præbet paterne, sed vult, ut sequatur illud Apost. 1. Cor. 10. *omne, quod vobis apponitur, manducate.* Q. 1. an leges humanæ obligent in conscientia? R. affirmative: quia Apostolus Rom. 13. vult, ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter viam, sed etiam propter conscientiam, alias qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Idem Ephes. 6. docet, conformiter ad præceptum quartum Decalogi, quod præceptum Patris in liberos,

heri

heri in famulos obliget in conscientia, quid ni ex eodem præcepto lex Principis in subditos? Q. 2. an lex humana obliget cum certo periculo gravis damni? R. per se loquendo, non, quia talis lex non esset accomodata fragilitati humanæ nec secundum hominum mores & loci consuetudinam possibilis; imo nec ipsa lex divina sic obligat, ut patet de integritate materiali confessionis; & hinc sequitur, quod Misipius casu quo apud catholicos non possit habere sustentationem, neque natura ejus ob debilitatem nimiam, jusculo, oleribus, & similibus valeat sustentari, sequitur, inquam, quod diebus vetitis possit manducare carnes. Dicitur per se loquendo, quia tres excipiuntur casus; primus est casus scandali, ut patet ex Machab. 2. cap. 6. de Eleazaro. Secundus, si bonum commune exigat, hoc enim vitæ alicujus particularis prævalet. Tertius, quando legis transgressio cederet in contemptum religionis, Ecclesiæ, aut ecclesiasticæ potestatis, quia majus bonum est, quod Deus in Ecclesia & religione a se fundata non contemnatur, quam quod vita unius privati perdat: ex his jam eruendum, quid de Misipio dicendum, si unus ex casibus exceptis de illo verificaretur, quod circumstantiæ indicabunt.

#### *De ejus subjecto.*

VII. Henricus Princeps fert legem, ne quis vestibus auro argentove ornatis utatur, sed ipse non observat. 2. Nequis certis temporibus venetur, at Clerici quidam non putantes hanc legem ad se pertinere, propter exemptionem venari pergunt; verum Principis Venatores illos deprehendentes eorum canes confodiunt, ipsisque sclopeta eripiunt. Q. 2. an & quomodo legislator teneatur suis legibus? R. Si materia legum æque illi conveniat ac subditis, tenetur suis legibus, etiam si fit legislator singularis & absolutus, sed indirecte tantum quoad vim directivam, quia juxta S. Aug. lib. 3. confess. cap. 8. *turpis omnis pars est suo universo non congruens.* Hæc tamen obligatio demto scandalo, aliave circumstantia gravi, puta damni tertio evenientis, gravis non est, quia illa indecentia non est tanta. In casu Henricus nullatenus peccavit, quia materia legis eidem non conveniebat. Contrarium est verum de regno democratico, vel aristocratico, ubi singuli legislatores di-



tributive sumti sunt Reipub. aut senatui, a quo cogi possunt, inferiores.

Q. 2. an Clerici teneantur legibus civilibus? R. Si sint leges bonum commune spectantes, neque sacris canonibus, neque clericorum statui contrariae, tenentur juxta verba S. Aug. jam citata; sed directive tantum, & hinc delinquentes ad proprium superiorem sunt deferendi, ab eoque pœnis congruis emendandi. Ex his sequitur 1. quod illi Clerici male egerint contra legem pro bono communi latam e. g. dum feræ sunt gravidae, pariuntve, dum segetes intumescunt, venando. 2. Quod & si forte præter culpam ignoraverint canones antiquorum Conciliorum Turon. 3. C. 8. Agath. Can. 53. August. Can. 2. scire tamen debuissent Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. ubi hæc: *vestitu iustuper decenti tam in Ecclesia, quam extra assidue utantur, ab illicitisque venationibus, aucupiiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiæ senatus dici possit.* 3. Quod venatores tam violentas actiones contra clericos exercendo excommunicationem Papæ reservatam incurrerint juxta Cap. *siquis suadente* vid. Billuart tom. 18. Pag. 352.


VIII. Adam & Eva sectæ anabaptisticæ seu mennisticæ contraxere matrimonium in gradu consanguinitatis ab Ecclesia prohibito, sed aliquot post annos ambo fidem catholicam amplectuntur. Q. an infideles teneantur sacris Ecclesiæ legibus? R. Non: *quid enim ad nos de his, qui foris sunt judicare?* Apost. 1. Cor. 5. dixi *sacris*: nam legibus politicis, si Prælati Ecclesiasticis civiliter subsint, ut partes Reip. tenentur. Q. 2. an acatholici baptizati teneantur? R. affirmative: etenim plures leges contra illos qua tales sunt latae tam in jure canonico, quam in aliis constitutionibus Ecclesiasticis, quæ frustraneæ erunt; catholicum enim non concernunt, quamdiu est catholicus, & quamprimum definit esse catholicus, juxta adversarios eundem non tangunt, ad quid ergo illæ leges? ad quid potestas dispensandi cum ejusmodi convertis? *in contractis vero cum H. H. convertis . . . . etiam in secundo simplici & mixto.* Ita teste Lacroix p. 3. N. 832. tenor facultatis nuntio cuidam concessæ. Frivola sane erit hæc potestas dispensandi, ubi illi lege non ligantur. Q. 3. an præfati indigeant dispensatione super impedimento

ad

ad hoc, ut post conversionem permaneant in matrimonio antea contracto?  
 R. Res tota videtur pendere a baptismo anabaptistico, in quo unus, ut fertur, pronuntiat formam, alter affundens aquam abluit. Hic baptismus, cum juxta communem D. D. nullus sit, hinc quidem fati indigent baptismo, non autem dispensatione super impedimento pure Ecclesiastico, patet ex dictis; sed quia Marsilius, & Cajetanus hunc baptismum reputant validum, atque Diana, Gobat, cum aliis eundem in necessitate adhibendum judicant, hinc ille baptismus apparet dubius, ergo non solum baptismus sub conditione repetendus, sed etiam petita & obtenta dispensatione super impedimento de novo contrahendum, ut utrobique eorum saluti prospiciatur.\*

\* Si casus contingat, quod pars catholica velit nubere anabaptistica; parochus quacunq[ue] obtenta licentia non debet assistere tali matrimonio propter probabilius latens impedimentum disparitatis cultus, nisi anabaptistica prius velit suscipere baptismum certum, sed sub conditione.

IX. Anna 1. alit fratrem suum fatuum, lucida tamen intervalla habentem, huic semper dat carnes comedendas, tempore amentiae diebus dominicis illum adigit ad stabula purganda, sed dum vicini sunt in Ecclesia, ne quis videat. 2. Hospitibus, quos novit catholicos, ex dioecesi, in qua scit in quatragesima dispensatum ad se venientibus pariter apponit carnes, quamvis in loco domicilii Annae non sit dispensatum. 3. Filios habet duos octennem valde stupidum, & sexennem, cui usus rationis ante annos; neutrum adigit ad Ecclesiam in diebus praecipis, neque juniorem, dum maledicit &c., ut a matre didicit, corrigit, sed potius gaudet, quod sit tam prudens, neque eidem graviter infirmo sacerdotem accersit. R. ad 1. Fatuis perpetuis posse dari carnes diebus vetitis nemo negat, quia lex ratione utentibus est posita. Lucida intervalla habentibus posse semper dari, ut probabilius tenet Pringue cum aliis Tom. 3. pag. 236. quia, cum frequenter contingat amentiam evenire ex debilitate cerebri, aliarumve potentiarum pro usu rationis praerequisitarum, vel saltem, an inde non proveniat, discerni non possit, sic ratione morbi illi legi non adstringuntur. Adigendo fatuum



fatuum ad opera fervilia diebus dominicis, etiamsi nemo viderit, Anna peccavit, quia dicitur: memento ut *diem sabathi sanctifices* ita, ut difformitas non tam afficiat agentem, quam ipsum festum. Modo laudatus pag. 235. ad 2. Si gravia mala, propter quæ obligatio legis cessat, prudenter ac fundate non timuit, neque illos generaliter dispensatos præsumere potuit (quod illi utpote catholici, de his enim sermo est, ad vitandum scandalum dicere debuissent) male fecit, etenim lex jejunii 40. malis est universalis, non particularis, consequenter sicut Belga diebus sabathinis inter festum nativitatis Domini & purificationis B. V. M. e Belgio ad germaniam veniens debet a carnibus abstinere, sic & illi in aliqua diœcesi tempore 40. malis dispensati venientes ad aliam in qua non est dispensatum . . . . Sed etsi lex esset localis tantum, tamen advenæ debent se accommodare legibus loci, in quo sunt tempore legis observantiæ proportionato; cum enim, si in ipsorum patria talis lex vigeret, non autem in loco, ad quem transeundo venirent, dummodo non in fraudem, juxta omnes exemptione gauderent, ergo & legem in hac patria ferant, oportet. Accedit praxis timoratorum, quæ in moralibus ut regula suscipitur. Ad 3. quod octennem non adegerit ad Ecclesiam, male, quia quamvis stupidus forte in quibusdam, supponitur tamen talem habuisse rationis usum, qui ad hoc præceptum qualicumque modo impium erat sufficiens. Dicitur *qualicumque modo*: non enim cum Sebaldo, Pringue &c. putamus gravem esse obligationem hanc, in pueris 7. vel 8. annorum, eandem nec dum plene capientibus . . . . Sexennem quidem ex decentia ad Ecclesiam scholasque mittere debuisset, ut sic didicisset obligationes hominis christiani, iisdemque esset assuefactus, at tamen obligatio quoad missam audiendam probari nequit ex lege humana, ad ea, quæ communiter fiunt, attendente. Eundem usu rationis pollentem, dum maledicit non corrigens peccat contra præceptum de correctione fraterna, contra pietatem maternam, qua itidem specialis cura ei incumbit de prolibus pie educandis. Si gaudium suum coram puero prodiderit e. g. ridendo &c. rea est specialis peccati scandali, quia sic confirmando ad ulteriora maledicta induxit, quamvis hujus peccati jam rea sit per suas maledictiones, per omissionem correctionis fructuosæ. Vide Billuart. Tom. 8. pag. 488. eidem graviter



viter infirmo non accersendo confessarium graviter peccat, quia præceptum de confessione in periculo mortis est divinum obligans omnes ratione utentes etiam sexennes, dum timetur, ut in casu, ne subsint peccato gravi propter periculum æternæ damnationis. Sebaldus cum aliis Tom. 1. pag. 113.

*De cessatione finis legis.*

X. Valentinus vir doctus destitutus facultate legendi libros prohibitos, indiscriminatim legit omnes, quia in se non advertit periculum perversionis. R. Male: quia finis legis ad id, quod communiter contingit, attendentis cessat tantum in particulari, & quidem negative. Aliud esset, si cessaret contrarie observatione legis in reip. damnum vergente.\*


\* Fatemur quidem cum Laymann lib. 2. tract. 1. cap. 15. N. 4. cum Sebaldus tom. 1. pag. 293. bullam cœnæ non esse cum tanto rigore in germania receptam, si quidem libri h. h. tractantes de jure, arte medica historia &c. etiam publice prælegantur, quibus tamen plerumque unam vel plures h. h. propositiones obiter admixtas repereris. Fatemur etiam cum Billuart tom. 7. pag. 153. indicem concilii Trid. non esse quoad omnia in toto rigore receptum, scilicet si absit periculum perversionis hoc enim imminente jus naturæ & divinum juxta illud: qui amat periculum &c. dicitur, tales libros esse vitandos. An vero hoc periculum non adsit, dum omnis utriusque sexus quascunque charteque pro libitu legit, colligi posse videtur ab effectu, summa morum corruptela.

*Dispensatio est relaxatio legis in aliquo particulari, manente obligatione quoad alios.*

XI. Virgilius petit ab Udalrico Episcopo dispensationem in quadagesima, causam tamen non habet, Udalricus autem fundate audiens Virgilium etiam sine dispensatione manducaturum carnes, dispensat. Q. 1. an inferior possit valide dispensare in legibus superioris sine causa? R. negative: non enim plus potest, quam ipsi sit concessum, vel a jure, vel dele-

D

gatio-



gatione superioris vel privilegio aut *longæva & rationabili ac legitime præscripta consuetudine* cap. finali de consuetudine. præsumi autem non potest, quod Jus vel superior concedant, quæ sine peccato fieri non possunt, eo ipso enim illæ concessiones cessarent esse rationabiles. Ex his patet, quod Udalricus dispensans in quadragesima sine causa invalide dispensavit; simul & illicite, quia usus jurisdictione non concessa, & consequenter tam ipse, quam dispensatus peccarunt secundum quantitatem materiæ. Q. 2. quid, si Papa in simili casu dispenseret? R. Si scienter bene quoad valorem, quia in lege sua omnimode a se dependente, sed male quoad licitatem tam ex parte dantis quam petentis, supposito, quod utrique in sufficienti causa sit cognita. Ex parte dantis, quia temere facit partem discordare a toto; ex parte petentis, quia sine causa communitati non conformatur. Hoc tamen peccatum secluso scandalo & gravi aliorum damno juxta Sanchez. Navar. Laymann. & alios, ex parte neutrius videtur grave, quia justitia legalis exigens conformitatem inter communitatis membra ad eam tuendam non obligat graviter. Q. 3. Quid, si legislator in sua lege sine justa causa dispenseret ignoranter, e. g. male informatus ab oratore, qui scilicet vel falsum allegat (vocatur obreptio) vel verum reticet (dicitur subreptio)? R. Si falsitas versetur circa causam principalem, nulla est dispensatio, quia talis error tollit consensum superioris, idque indicat clausula: *Si preces veritate nitantur*. Si vero ob- aut subreptio versetur circa causam impulsivam tantum, & minus principalem ex malitia allegantis, pariter nulla est dispensatio, si ex simplicitate & ignorantia oratoris, est valida, ita expresse distinguit & statuit Innocentius III. cap. super litteris de rescript.


XIII. Wolffgangus nobilis ob infirmitatem obtinet dispensationem comedendi carnes diebus vetitis, sed sanitati ex integro restitutus pergit uti dispensatione. 2. Ad inimicitias graves inter familias extinguendas vult ducere Wiltrudem, in secundo gradu sibi consanguineam, super quo petit, obtinetque, ut ordinarius, si ita est, cum ipso dispenseret in ordine ad matrimonium, sed antequam ordinarius dispensat, inimicitia sunt sublata.

Q. 1. Quænam causæ dispensandi? R. Sunt pietas, utilitas in bonum commune redundans, necessitas non extrema, hæc enim per se legem tollit. Item merita oratorum. Ad has reliquæ causæ in A. A. legi solitæ reducuntur. Q. 2. An cesset dispensatio data, cessante causa propter quam? R. Per se loquendo non cessat, quia obligatio legis semel extincta non reviviscit, nisi per novum actum legislatoris volentis, talem legi rursus subijcere, quod hic non fit. *Dictum per se*, quia si dispensatio sit restricta ad tempus existentie causæ, sublata causa cessat dispensatio. Hæc restrictio, si sit tacita, ut dignoscatur, attendatur ad motivum, quodsi prudenter credatur, tantum ad tempus aliquod duraturum, illo cessante dispensatio cessat, quia non potest præsumi, legislatorem velle peccare, peccaret autem, si pro causa transeunte daret dispensationem perpetuam; & hinc patet. R. ad 1. quod Wolffgangus peccarit comedendo carnes sanitati restitutus. Pariter ad 2. Communis Theologorum responsio est negativa, quia nondum data, sed modo per ordinarium danda, erat dispensatio subsistente precum veritate, quæ non amplius subsistit. \*

\* Communis hæc Theologorum responsio vera est, si ex alio motivo cessarint inimicitie, secus si matrimonium in spe fuerit causa reconciliationis inter familias, tum enim illæ inimicitie tantum cessant tantisper sopitæ, non extinctæ, sed modo per matrimonium plene extinguendæ.

Consuetudo juxta S. Thomam in 3. Sent. D. 23. Q. 1. A. 14. quæst. 2. *Est frequentia operandi libere eodem modo.* potest legem inducere, abrogare, interpretari.

XIII. Xistus mercator vectigalia, accisas &c. defraudat, ubicunque potest, correptus a quodam, an non ducat sibi peccato? reponit quid peccato? Scio me debere solvere multam, si deprehendar, sed de peccato nullus mercatorum aliquid scit. Q. An consuetudo possit abro-



abrogare legem quoad culpam remanente pœna? R. Affirmative: sic enim leges subinde feruntur sub sola pœna, quare ergo consuetudo rationabilis non possit sic culpam, manente lege quod pœnam, abrogare, cum rotam auferre queat? Excipe censuras, quæ feruntur propter culpam. Ex his sequitur, quod Xistus dato, quod vere subsistat legis abrogatio quoad culpam, ex hoc capite non peccarit, dummodo paratus fuerit solvere multam, potuit tamen peccare se familiamque suam exponendo periculo depauperationis ob gravissimas multas ejusmodi defraudatoribus subinde imponi solitas.



